

Ad quid teneatur religiosus expulsus, si in suam religionem non recipiatur.

18. *Primum pronuntiatum in hoc tertio puncto, posse ejectum ingredi aliam religionem.—Non tamen laxiorem.*—Tertio vero quæritur, quid teneatur facere ejectus quoad statum suum, si in sua religione non recipiatur, an scilicet, teneatur aliam ingredi religionem vel possit libere in seculo manere. Nam Bonaventura, d. q. 14 super regulam, sensit, teneri aliam religionem ingredi, quod sequitur Corduba, diet. q. 21, in cap. 2 suæ regulæ, prope finem. Dicendum autem est primo, religiosum semel ejectum posse libere aliam religionem ingredi, si velit, quod est manifestum, si prius diligentiam aliquam adhibuit ut in sua religione reciperetur, nec potuit obtinere, ut a fortiori patebit ex dicendis; verum tamen absolute id verum existimo, posse, scilicet, statim ac eiecitur, nulla alia expectata licentia, vel diligentia præmissa, aliam religionem ingredi, si strictior vel saltem æqualis sit, quia tunc nec suæ religioni faciet injuriam, cum ipsa eum expulerit, nec statui religioso ut sic, cum æqualem accipiat. De transitu vero ad laxiorem, dubitari potest, quia talis religiosus ex vi professionis tenetur permanere, quantum in se est, in statu tantæ perfectionis; ergo donec per illum stat quominus in illo permaneat, non potest libere ad laxiorem transire. Confirmatur, quia non potest libere manere in seculo, quoad ipse est in causa, ut sit a religione ejectus, et ideo tenetur tollere impedimentum, et se ostendere paratum ad reditum, ut supra, a numero sexto, dixi. Ergo eadem ratione, in eodem casu et cum eadem proportione minuere (ut sic dicam) statum perfectionis, quem professus est, donec per ipsum non stet quominus in priori statu maneat. Tandem confirmatur, quia Innocentius IV concessit Minoribus, ut refertur in lib. Monumenta Ordinis, concess. centesima sexagesima secunda, ut semel ejecti possent libere ad aliam religionem transire, exceptis militaribus; ergo signum est, hoc per se non esse licitum propria auctoritate, saltem quantum ad religionem laxiorem. Alioquin non fuisset necessaria specialis concessio, nec debuissent excipi religiones militares, nam illæ veræ religiones sunt, esto sint laxiores. Et hæc pars mihi probatur.

19. *Aliorum placitum et fundamentum.*—Non desunt tamen quibus videatur in eo casu posse religiosum sic ejectum statim transire

ad religionem laxiorem, si velit, quia in ea salvatur substantia status religiosi; ad modum autem seu austeritatem ejus, ille non se obligavit absolute, sed solum in ea religione, quam professus est; ab illa autem jam est ejectus in perpetuum, ut supponitur; ergo eo ipso manet liber ab illo speciali vinculo. Sed hæc ratio solum probat hoc licere post factam diligentiam, ita ut per religiosum non stet quominus in priori austeritate perseveret, nam ex sua culpa non debet commodum et libertatem ab obligatione arctioris religionis comparare; ergo, donec emendatus a culpa, ostendat se paratum ad illam obligationem implendam, et per illum non stet, non potest ei talis libertas concedi. Quamvis autem ex natura rei hoc ita esse videatur, ex dicta concessione Innocentii id licebit cum limitationibus in ea positis. Quia ex dispensatione Pontificis licitum est ad laxiorem religionem transire; illa autem concessio continere videtur in hac parte generalem dispensationem, quæ potuit habere justam causam ad evitanda majora mala. Limitationes autem sunt, prima, ut non fiat transitus ad religionem militarem, quoad milites arma portantes, nam quoad clericos vel monachos qui in eis religionibus spiritualem vitam profitentur, non videtur id prohibendum. Alia limitatio est, ut sic ejecti deferant litteras testimoniales Provincialis vel Generalis sui ordinis, et aliter recipi non possint absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Et quantum ex verbis concessionis colligitur, si hæc forma receptionis non servetur, professio erit invalida, non minus quam si alius non ejectus reciperetur. Ultima limitatio est, quod hæc concessio specialiter facta est Minoribus, et ideo solum alii, qui cum illis in privilegiis communicant, illa uti poterunt.

20. *Secundum pronuntiatum, ejectum non obligari ad transitum illum.*—Secundo dicendum est, religiosum ejectum nunquam teneri ad aliam religionem transire, sed posse in seculo libere manere, postquam jam emendatus repulsus est, licet se sufficienter ostenderit paratum ad reditum; ita tenet Soto supra, et a fortiori Navarrus, Sylvester, et alii citati. Et probatur, quia ille sic professus non se obligavit alteri religioni: et per illum jam non stat quominus in ea vivat, ut supponitur; ergo non tenetur alteram ingredi, quia in his, quæ ad consilia pertinent, nemo tenetur nisi ad id quod voto se obligavit. Sicut qui promisit ingredi determinatam religionem, si in ea non recipiatur, non tenetur aliam quærere,

quia ad illam solam se obligavit; sed similiter per professionem in hac religione, solum illi ejusque regulæ se obligavit; ergo si ab ea repellitur, non tenetur aliam quærere. Dices, esto ipse ex vi votorum non teneatur, posse a Prælato religionis cogi et obligari, ut ad arctiorem religionem transeat in pœnam delictorum. Respondeo, etiam hoc modo non posse simpliciter obligari, ut docet Navarrus, cons. 77, de Regularibus, quod ipse probat, quia postquam ejectus est, non est subditus; ergo non tenetur parere, quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. Sed contra, quia potest religio non prius hunc ejicere, sed immediate condemnare ut transeat ad religionem arctiorem. Item quia in pœnam delicti prius commissi, potest illum obligare, ut post ejectionem jejuset, vel sit relegatus a tali civitate, sicut potest ad triremes condemnare. Ratio ergo est, quia nemo potest ad statum religiosum obligari (etiam in pœnam delicti), si illum non vovit; eadem ergo ratione non potest cogi ad arctiorem religionem absolute; poterit tamen sub conditione vel disjunctione obligari, ut vel transeat ad aliam, vel maneat in perpetuo carcere, aut ad triremes eat, supposito delicto digno tali pœna.

21. Dices: ergo saltem si prius ante professionem in ea religione factam vovisset absolute religionem, teneretur postea ejectus, ex vi prioris voti, repulsus a tali religione aliam quærere. Respondetur ita sentire Sotum, neque id esse directe contra nostram assertionem, in qua solum consideramus obligationem per se et ex vi professionis. Respondemus tamen secundo negando consequentiam; probabilius enim nobis videtur, etiam in eo casu non obligari religiosum ejectum, et omnino repulsam, aliam religionem ingredi, ex duobus capitibus: unum est, quia prius votum simplex, etiamsi de religione absolute fuerit, jam satis fuit completum, et ideo amplius non obligat. Sicut qui bona fide ingressus est unam religionem, ut probaret illam, et ante professionem licite dimittit habitum, non tenetur aliam ingredi, quia implevit votum, ut supra dictum est; ergo a fortiori, etc. Aliud caput est, quia prius votum per priorem professionem prorsus fuit extinctum. Imo addo, licet prius votum fuisset de particulari religione strictiori, ita ut ille peccaverit laxiorem ingrediendo, et in ea profitendo, nihilominus postea ab hac ejectus, jam non tenetur alteram, quam voverat, vel aliam æqualem aut inæqualem ingredi, quia votum illud

simplex omnino extinctum fuit per talem professionem, ut definit Pontifex in c. *Qui post votum*, de Regularibus, in 6; et resolvit D. Thomas 2. 2, q. 188, art. 8, ad 3; et ibi Cajetanus, et a nobis est in superioribus declaratum.

CAPUT VI.

AD QUID OBLIGETUR RELIGIOSUS EXPULSUS, LICITE ET LIBERE IN SEculo PERMANENS.

1. *Resolutio quoad obligationem castitatis.*—Jam vero de hoc religioso ejecto, et in seculo licite permanente, multa occurrunt circa obligationem honestumque modum vivendi ejus; certum est enim in eo manere vincula professionis, et trium votorum, ut ostendimus; in usu ergo illorum, et in actualibus obligationibus, quæ ex illis nasci possunt in tali statu, est tota hujus rei difficultas. Quæ in voto castitatis nulla est, nam observantia ejus non pendet ab aliquo Prælato, nec ab speciali vivendi modo, et ideo ubique servari potest et debet integre. Igitur de voto obedientiæ est dubitatio, cui tenetur ille religiosus actu obedire, quia videtur nemini teneri ex vi voti, sed solum ex vi communium legum, aut præceptorum. Quod si ita est, ad nullum usum obedientiæ religiosæ tenebitur, et consequenter nec ad usum paupertatis, quia hic intelligi non potest sine ordine ad aliquem Prælatum religiosum, quia votum paupertatis involvit ex parte materiæ ordinem ad aliquem Prælatum, qui possit licentiam dare utendi temporalibus bonis, ut supra dictum est, et consequenter nec ad alia onera religionis omnino tenebitur; quæ omnia videntur incommoda, quia illa persona ex vi sui status semper manet obligata ad statum perfectionis; ergo necesse est ut ad aliquem usum ejus maneat obligata.

De obligatione quoad votum obedientiæ.

2. *Navarri sententia.*—Primo ergo circa obedientiæ votum est sententia Navarri, religiosum sic ejectum teneri ad obediendum Episcopo, non tantum ut alii fideles vel clerici tenentur ratione suæ jurisdictionis, sed specialiter, ratione voti obedientiæ, atque adeo in his, quæ ad perfectionem aliquo modo pertinent, secundum modum illi rationi vivendi proportionatum. Ita habet in Comment. 2 de Regularibus, n. 33, et Comment. 3, n. 46. Et inde refert teneri ejus-

modi ejectionem, ad se presentandum Episcopo, et manifestandum se esse religiosum, et paratum ei obedientiam prestare. Unde intelligitur ipsum loqui de speciali obedientia religiosa et ex voto, nam si solum teneretur obedire ut alii clerici, non oporteret se amplius manifestare quam clericum. Fundamentum ejus est, quia nullus potest manere sine Superiore, c. *Nulla*, 93 d.; sed ille ejectionis manet sine Superiore suae religionis; ergo necesse est ut alteri subesse incipiat; nullus est autem nisi Episcopus; ab ejus enim obedientia per professionem liberatus erat; ergo in illius obedientiam incidit cum a jugo professionis per ejectionem liberatur.

3. Contrariam sententiam indicat Soto, lib. 7 de Justitia, q. 1, a. 1, dum ait hujusmodi religiosum manere liberum a voto obedientiae. Expressius id docuit noster Molina, tom. 1, de Justit., disp. 140, ubi sententiam Navarri dicit esse contra praxim Ecclesiae, ideoque omnino improbabilem. Fundamentum est quia nemo tenetur ex voto obedire, nisi cui promissit; sed religiosus ille non promissit obedire Episcopo, sed Praelatis suae religionis; ergo si his obedire non potest, nec tenetur, quia ab eis ejectionis est, non est unde obligetur Episcopo ex speciali voto, sed ab usu talis voti liber manet, solumque manebit sub obedientia Episcopi sicut caeteri clerici vel fideles. Confirmatur, nam hac ratione supra dicebamus, non teneri aliam religionem ingredi, quia illam non vovit; ergo similiter, etc. Atque hinc sequitur (juxta hanc opinionem) non teneri religiosum hunc manifestare Episcopo quod religiosus sit, quia satis est quod ei obediat ut simplex clericus, ad quod necesse non est ut Episcopus sciat illum esse religiosum. Solum ergo tenebitur esse paratus redire ad obedientiam religiosam, quoties revocatus et admissus fuerit, et hoc satis est ut vinculum voti obedientiae maneat.

4. Nihilominus opinio Navarri contemnenda non est, nec minus probabilis, sed absolute probabilior debet reputari, quamvis in usu adeo limitanda sit, ut non relinquatur magna diversitas. Haec posterior pars ex *Discursu* eorum, quae num. 10 dicimus, constabit. Prior autem suadet, quia imprimis eam significant graves Doctores: Panormitanus, in c. unico, de Infantibus et languidis, in fine, ait religiosum legitime ejectionem esse sub potestate Episcopi. Idem sentit Innocent., in c. *Cum olim*, 2, de Privileg., n. 3, quatenus dicit hunc monachum ejectionem acquirere Episcopo, a cu-

jus jurisdictione non est absolutus; videtur enim loqui de jurisdictione religiosa, quia alia communis non sufficeret ut Episcopo acquireret. Hanc autem Innocentii opinionem videtur probare Doctores ibi communiter, ut affirmat et sequitur Alexander de Neap., in Addition. ad Panormit. supra; tenet etiam Archidiacon., in c. *Albates*, 16, q. 2; Specul., de Stat. Monach., vers. 41; Fredericus de Sen., consil. 38; Sylvest., verb. *Apostasia*, q. 6. Praeterea est haec opinio per sese valde consentanea rationi: nam hic ejectionis manet verus religiosus; ergo tenetur, eo modo quo commode potuerit, servare statum suum, et vitam religiosam, saltem quoad substantialia; sed hoc non potest nisi alicui specialiter obediat; nullus autem est alius cui haec obedientia magis praestari possit et debeat, quam Episcopo. Quod in hunc modum confirmatur, quia olim in Ecclesia, qui profitebantur statum religiosum privatum, seu solitarium, eo ipso subiciebantur specialiter Episcopo, et omnes monachi erant illi specialiter subjecti, nisi eximerentur; sed iste religiosus, postquam ejectionis est, manet in statu religioso quasi solitario, seu particulari; privatur etiam per ejectionem privilegio exemptionis; ergo eo ipso reducitur ad jus antiquum, manetque Episcopo subjectus, non solum communi modo, ut alii fideles, sed speciali titulo religiosorum.

5. *Expeditur fundamentum contrarium in n. 3.* — Argumentum in contrarium expediri potest primo, supponendo quod supra diximus, votum obedientiae religiosae non tantum fieri Praelatis intrinsicis ejusdem religionis, sed etiam extrinsecis, ut ita loquamur, et ideo diximus nunc fieri a religiosis exemptis ipsi Papae, nam ille speciali modo est Praelatus omnium religionum; a religiosis autem non exemptis fit etiam Episcopo, cui subiciuntur tanquam Praelato superiori omnibus Praelatis, seu Praefectis religionis, et consequenter etiam Papae tanquam supremo. Si ergo religiosus ejectionis sit non exemptus, clarum est manere sub obedientia Episcopi, ex vi sui voti, quia a principio illi tanquam Praelato illam promiserit, ut declaratum est. In religioso autem exempto videtur id difficilius explicari. Dicendum autem est, quamvis in eo tempore seu statu non promiserit obedientiam Episcopo materialiter, ut sic dicam, promississe tamen illam omnibus Praelatis suis, et quia pro eo tempore Episcopus non erat proprius Praelatus ejus, ideo non obligatur illi ex voto obedientiae; tamen, quia post ejectionem incipit esse

Praelatus ejus, ideo incipit etiam illi ex voto obligari. Confirmatur et declaratur, quia prius votum factum est non solum Praelatis religionis, sed etiam Summo Pontifici, imo huic primo ac praecipue, aliis autem ut gerentibus vicem ejus; ergo etiam post ejectionem obligat votum ad obediendum Pontifici; ergo et gerenti vicem ejus, qui tunc est Episcopus, nam per ejectionem perdit religiosus privilegium exemptionis, et consequenter ex voluntate Pontificis, vel expressa, vel tacita, subicitur Episcopo, quia non est verisimile ut Pontifex, qui vere est Praelatus et Superior ordinarius talis religiosi, relinquat illum liberum omnino, et sine ullo regimine. Sicut ergo ante exemptionem omnes religiosi erant sub obedientia Episcoporum, ita intelligendum est ad eandem redire, finito privilegio exemptionis, ut per ejectionem finitur, et sub hac tacita conditione concedi. Declarari potest exemplo religiosi, qui ad seculare beneficium promotus est, nam eo ipso desinit esse sub obedientia Praelatorum suae religionis; et incipit esse sub obedientia Episcopi, sub quo habet beneficium, ut est communis sententia, quam ostendit Navarrus, supra, ex glossa; Cardin., in Clement. 1, de Statu Monach., verb. *Clastrum*; Joan. Andr., Panorm. et alii, ex textu ibi, in c. ult., de Capellis Monach.; Panormitanus, c. *Quod Dei timorem*, de Statu Monach., n. 9; Sylvest., verbo *Religio*, 7, quaest. 11. Nec est verisimile illam obedientiam esse communem tantum, prout illam debent seculares clerici, sed accommodatam religioso statui, quia aliud esset prorsus inordinatum, et contra bonum animarum; ergo signum est, eo ipso quod religiosus liberatur ab obedientia Praelati exempti, incidere in obedientiam Episcopi; idem ergo est in casu ejectionis.

6. *Allera ejusdem fundamenti enodatio.* — Denique dicitur, praeter votum obedientiae, et directam obligationem ex illa ortam, Episcopum, ex vi sui muneris et jurisdictionis, habere potestatem regendi personam quamcumque religiosam non exemptam, modo convenienti et apto statui religioso. Nam, ut supra dicebam, esto religiosus non voveat obedientiam Episcopo, eo ipso quod religiosus est, et in foro Ecclesiae in eo statu constitutus, pertinet ad Episcopum eum in illo statu gubernare, et convenientia illi statui praecipere, et inconvenientia remove, sicut persona clerici, eo ipso quod ordinatur, subicitur specialiter Episcopo, nam persona religiosa eo ipso est specialiter res sacra et ecclesiastica, unde vel

hoc solo titulo incipit esse sub speciali cura Praelatorum Ecclesiae, et consequenter, remota exemptione, pertinet ad specialem curam Episcopi, et ob eandem causam debet illi specialem obedientiam longe alio modo, quam reliqui seculares laici vel clerici, quia in ordine ad diversum finem, et consequenter etiam in diversis mediis et rebus. Hoc ergo satis est ut, secluso etiam voto, dicatur religiosus ejectionis esse sub speciali obedientia Episcopi, tenerique ad obediendum illi in rebus suo statui convenientibus, si non ex voto, saltem ex pastoralis potestate Episcopi tali statui proportionata; licet fere non sit tam ampla sicut addito obedientiae voto. Unde etiam consequenter fit, ut talis religiosus teneatur se manifestare Episcopo, et sui status notitiam ei dare, ut ab eo possit gubernari. Qui enim ad aliquod agendum tenetur, consequenter obligatur ad ea, quae necessaria sunt ut illud fieri possit, argumento cap. 1, et cap. *Praeterea*, de Offic. deleg.

Cui Episcopo, habitationisne an originis, an forte beneficii, teneatur ejectionis se praesentare.

7. Statim vero oritur secundum dubium, quod late supra tractat Navarrus, dict. Comment. 2, n. 34, cui Episcopo teneatur hic religiosus se praesentare et obedire, an Episcopo originis, vel domicilii seu loci in quo ejectionis, aut beneficii regularis, si quod habebat. Et respondet, subici Episcopo originis, unde vult, eo ipso quod ejectionis, incipere esse subjectus Episcopo originis, quantumvis ille distet, ideoque teneri adire, vel convenire illum, eique obedientiam praestare, et sub ejus dispositione vivere, aut, si velit ad alium Episcopatum transire, ab illo licentiam postulare, nec posse licite suo arbitrio id facere. Fundamentum illius est, quia solus Episcopus originis est certus et immutabilis. Nam, licet per beneficium vel aliis modis alibi possit acquiri domicilium, et subjectio ad Episcopum, nunquam tamen aufertur domicilium originis, sed accumulatur aliud, reliqua vero mutabilia sunt, et facile auferuntur. Confirmatur, quia alias religiosus ejectionis, cum primum incipit esse extra religionem, maneret quasi sui juris, ut libere possit cui voluerit Episcopo se subdere et praesentare, quod est contra statum ejus.

8. Haec vero sententia practice pati potest plures difficultates, et non sufficienter fundatur, ideoque non videtur sequenda, nec ipsi

ejecti in has angustias redigendi sunt. Contingit enim sæpe religiosum ejici in loco remotissimo a loco suæ originis; cur ergo cogatur statim peregrinari, et illum adire? Interdum etiam illud erit magnum incommodum, non solum spirituale, sed etiam temporale, vel quia erit illi occasio libere divagandi per multum tempus et varia loca, vel quia redire ad locum originis erit fortasse nocivum. Sæpe etiam erit molestissimum, vel propter honorem, vel propter ruborem, et verecundiam nimiam; cur ergo tam duram obligationem imponemus sine sufficienti fundamento? Nam quod immutabilior sit origo, non refert; inde enim habetur ad summum, posse hunc ejectum, si velit, se subdere statim Episcopo originis, non vero quod illi necessario subjiciendus sit, nam hoc præstant alii tituli domicilii aut beneficii, ut possit quis alteri subdi, si velit. Et ita quoad alios actus jurisdictionis liberum est aliis personis se subdere Episcopo beneficii aut domicilii, et non originis; ut, verbi gratia, ad recipiendum ab eo litteras dimissorias, et similia; ergo idem erit in præsentia.

9. *Judicium auctoris, liberum esse ejecto subdi Episcopo originis, vel loci monasterii.* — *Quid quando alterum jam elegit.* — Quocirca probabile mihi est, esse liberum huic religioso ejecto statim se præsentare Episcopo loci, in quo est monasterium a quo ejicitur, et illi obedire; sive hoc sit ratione domicilii quod sibi eligit, et incipit ibi habere, sive quia tunc est quasi peregrinus, et nullum habens domicilium, et ideo subjicitur pastoribus illius loci, in quo præsens est, et quasi peregrinari incipit. Nec tamen ad hoc ipsum censeo esse obligandum, quia, si velit, potest etiam adire Episcopum originis propter fundamentum Navarri. Nec est inconveniens quod Navarri confirmatio aiebat, ejecto liberum esse inter hæc eligere, præsertim priusquam se præsentet, quia est veluti carens determinato Prælati, cui actu subjectus sit, ideoque aliquam spontaneam electionem in eo habere potest. Videri autem potest probabile inter hos duos Episcopos debere necessario eligere, quia respectu aliorum nullum habet titulum subjectionis. Nam quod habuerit domicilium sub alio Episcopo antequam ingressus esset religionem, non refert, quia jam omnino domicilium mutavit; et idem est, si ante beneficium habuit, quod jam omnino reliquit, nulla enim inde manet subjectio. Sed, licet sit verum, nullam rationem subjectionis

respectu aliorum Episcoporum, adhuc manet dubium an pro suo arbitrio possit illam præbere cui voluerit, quod pendet ex alia dubitatione, scilicet an postquam uni se præsentavit, et actu subjectus, teneatur perpetuo sub illo manere, ita ut sine illius licentia non possit mutare domicilium, de quo statim numero decimo sexto dicam, et inde patebit alterius dubii resolutio.

Quomodo et in quibus rebus debet ejectus obedire Episcopo.

10. *Ostenditur jam secunda pars assertionis positæ in n. 4. — Dubium prævium de obligatione ejecti ad regulam religionis.* — Dubitari enim ulterius potest, quomodo et in quibus rebus teneatur hic religiosus ejectus obedire Episcopo, cui jam se præsentavit, et subjectus actu est, ut secundæ parti assertionis satisfaciamus. Ratio autem dubitandi esse potest, quia ille solum promisit obedire Prælati secundum talem regulam; sed ejectus jam non tenetur servare regulam; ergo non tenetur obedire secundum illam; ergo nulla in re tenetur obedire, quia quidquid extra regulam præcipitur, non cadit sub tale votum, ut supra ostensum est. Quæ dubitatio supponit aliam simul hic necessario tractandam, an teneatur religiosus ejectus regulam servare, quantum in illo statu potest; illa enim, quæ pendet ex actuali vita regulari et communitatis, servare non potest, et ideo clarum est ab illis excusari; ut est, verbi gratia, assistere in choro, clausuram suo modo servare, ita ut sine licentia Prælati non possit claustrum exire, interesse Capitulo, et communem pœnitentiam suscipere, et similia; sunt vero alia multa, quæ possent extra claustrum servari, a quibus non videtur exonerandus hic ejectus, cum possit ea servare, ne commodum ex iniquitate sua reportare videatur. Hujusmodi sunt imprimis privatim recitare officium canonicum, quæ videtur esse generalior obligatio consequens professionem; item jejunia ordinis custodire, quæ videtur etiam gravissima obligatio; item disciplinas, vel alias pœnitentias, quas regula præscribit, et si quæ alia sunt ejusmodi. Eadem quæstio est de habitu, quem, scilicet, deferre teneatur, aut quem possit ei præcipere Episcopus cui subjectus est. Tandem quæstio similis est de habitatione, et de aliquo modo clausuræ, ita ut ei præcipi possit ne tam facile domo exeat, vel non solus, vel non sine alicujus facultate. Ac denique an possit illi prohiberi mutatio in alium locum,

vel etiam an possit ei præcipi. Nam ex una parte videtur valde alienum ab statu religioso, ut possit suo arbitratu locum vel domicilium mutare, vel etiam ut non possit a suo Superiore mutari. Ex alia vero parte non apparet quomodo possit ad aliquid horum præcepto cogi, cum ea non promiserit, nec sint secundum regulam quam promisit.

11. In hac re, incipiendo a secundo dubio, Soto, lib. 7 de Justitia, quæst. 2, art. 1, et circa ad 3, pro certo habet non teneri hujusmodi ejectum ad observationem regulæ, cum ad nullum obedientiæ usum obligetur. Idem Molina loco citato; Navarrus etiam, licet in puncto de obedientia Episcopi ab eis differat, in hoc tamen consentit, quod non putet teneri ad regulam servandam, tum citatis locis, tum etiam lib. 3 Consiliorum, consil. septuagesimo nono. Alii dixerunt hunc teneri ad observanda substantialia regulæ, non vero ad accidentalia. Et hoc posterius communiter receptum est, ut ait Navarrus supra. Primum vero videtur sensisse Fredericus de Senis, quem ibi citat cons. 38. Sed difficile est aliqua substantialia in regula distinguere præter tria vota. Et ideo absolute asserendum videtur cum communi, hunc non teneri ad regulæ observationem. Ita tenet cum Soto supra Navarr., Comment. 3 de Regularib., n. 46. Et ratio est, quia ad regulam non obligatur quis nisi ex vi professionis, et quasi sub pacto et conditione, ut permittatur vivere in tali statu et communitate: nam civis in tantum obligatur legibus civitatis, in quantum in illa vivere permittitur; si autem ab illa ejiciatur ac relegatur, cessat obligatio. Item, quia observantia talis regulæ in tali vita communi, est suo modo facilis propter proportionem quam habet cum tali modo vivendi, et auxilia quæ in eo statu sunt ad illam observantiam sustinendam, quod extra claustrum, et in seculari vita esset molestissimum religioso; ergo non intendit se obligare ad regulam, nisi ex suspensione talis status. Item ille non gaudet privilegiis religionis, nec aliter bonis ejus, et consequenter non exoneratur cura et diligentia quærendi necessaria ad vitam; ergo non debet onerari cæremoniis vel observantiis religiosi.

12. *Enucleatur assertum discurrendo per obligationes regulæ n. 10 recensitas. — De officio canonico.* — Ut vero assertum hoc magis in particulari explicetur, dicendum est, hunc religiosum ejectum non teneri ad officium canonicum recitandum, si clericus in sacris non

sit. Ita Soto supra; et probatur, quia vel teneretur ex voto, et hoc non, quia illud non expresse, et in specie vovit; vel ratione regulæ, et hoc non, quia non tenetur ad regulæ observationem, ut ostensum est; vel ratione ecclesiastici præcepti, quod obliget omnes in religione professos, et hoc nullum extat, ut diximus lib. 4, de Horis canon., c. 10, n. 7; vel ratione consuetudinis, et hæc solum probari potest de religiosis suum statum profitentibus ac retinentibus, et ad chorum per se obligatis, nam illi, qui chorum non profitentur, vel qui non sunt ad chorum deputati, nec talem habent consuetudinem, nec ad hoc obligantur, ex sententia omnium; multo autem minus potest ostendi consuetudo in his ejectis; nec consuetudo, quæ est intra religionem, potest obligare ad illam extra religionem servandam, tum quia non est major ratio de consuetudine quam de regula; regulam autem non tenetur servare; ergo nec consuetudinem; tum etiam quia modus vivendi longe diversus est, et consuetudo respicit istum specialem vitæ modum; tum etiam quia extra religionem deficit fundamentum illius consuetudinis, quod est obligatio ad chorum ex vi regulæ, et fortasse sustentationis ex elemosynis aut ecclesiasticis bonis, ut aliqui volunt; ejectus enim jam non aliter ex bonis religionis, sed oportet ut quærat unde alatur; durum ergo est illum obligare, nam habens titulum beneficii sine sacris ordinibus, si omnino fructibus ejus gaudere non potest, non obligatur pro tunc ad recitandum; ergo similiter, etc. Vel tandem tenetur ille præcise ratione professionis, et hoc non, quia, ut tract. 4, supra citato, et tract. 8, cum Cajetano, Joanne de Medina, et aliis diximus, professio per se non affert secum obligationem officii canonici, sed media consuetudine orta ex prædictis capitibus. Et hæc ratione professi laici non tenentur ad officium canonicum, quia non sunt ad chorum deputati. Unde omnes dicunt, si monachus professus, et constitutus in gradu eorum qui ordinandi sunt, et chorum profitentur, arbitrio Superioris mutetur ab illo gradu ad gradum fratrum laicorum, jam non teneri ad officium recitandum; major autem mutatio fit in religioso per ejectionem, magisque separatur a choro (ut sic dicam), potestque perpetuo manere licite in statu laicorum, extra conjugium; ergo multo magis deobligatur ab illo officio.

13. *Contra proxime dicta de officio sentientes refutantur.* — Contra hanc vero partem